



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Infamia Calumniæ

Schmoll, Wilhelm Bernhard

[Gießen], 1664


urn:nbn:de:hbz:466:1-35901

Wilhelm Bernhard
Schmoll
Adrian Eybenwerth
Grafen



Figuraffine des Knecht Schmall von Bismarck.
Frankfurterstr. 27, in Darmstadt.





INFAMIA
CALUMNIÆ,
I N
PUBLICO AUDITORIO,
EX
ORATORUM CATHEDRA
MONSTRATA,

~

WILHELMO BERNHARDO SCHMOLLIO,
DICTO Eysenwerth/ Gießâ-Hasso.

G I S S Æ,

Die Martii, A. C. 1664.

★ ★ ★

Literis, HAMPELIANIS.

Joseph Schmollio

IN F. A. M. M.

CALUMNIAE

1 2

PUBLICO AUDITORIO.

EX

ORATORUM CATHEDRA

MONSTRATA.

LEONARDUS DE VARETO

DICTO COMMUNIS

1535

IN

Imprimus, H. M. P. 1535

Handwritten signature in blue ink

SERENISSIMIS ET
POTENTISSIMIS PRINCIPIBUS,

FRIEDERICO
AUGUSTO,
SAXONIÆ DUCI.

ET

LUDOVICO,
HASSIÆ
LANDGRAVIO.

In humilia subjectionis signum,

Et ulterioris Clementiæ incitamentum

Orationem hanc

Subiectissimus servus

Offero

WILHELMUS BERNHARDUS SCHMOLLING,
Dignus Hofenwoerth/ Hafsö - Giesenus.



PHILIPPUS

LUDOVICUS

HANNEKENIUS,

ORATORIÆ PROFESSOR ORDINARIUS.

SINCERI ANIMI

ET

INTEGRÆ FRONTIS

LECTORI. S. D.



OMULUM Rem-
mumque lupâ la-
ctatos fama tenet.
Si nostrum genus
illis Genitoribus
deberemus , non
mirarer ferina ho-
minum ingenia ,
quibus in aliorum integritatem nominis,
velut

velut in prædam lupi, invehuntur. Verum non tam proclives in raptum erant Albanorum conditores, quam nunc in aliorum ignominia intentæ est aucupium malo genio gubernata mortalium natura. Quocunque te vertes, excubantem in insidiis obtrectatorem deprehendes. Frons, oculi, verba, gressus observantur, castiganturque bonæ mentis indicia ab illis, qui sceleribus obruti præter scelera nihil meditantur. Quid autem bonarum concipient cogitationum de alio, qui de se nihil quicquam boni norunt? cum vitiorum atrocitate sauciata colluctatur conscientia, iniustasque sibi flagitiorum maculas aliorum attritu famæ lenire conatur. Jam frons tua sinceritatem promittens in humanis illis inhonesta erit, & ne sincerum te alii habeant, superbiæ convitio traduceris; jam ingenuitatis vim spi-

A

3

rantes

rantes oculi in levitatis indicium producentur ; jam verba hilaritate vestita Epicuri te gregi adscribent , & infucatum cum familiaribus commercium improbitati te totum dicabit. Quis bonus à delationibus libererit , quando nunc virtus infamiâ maculatur ? In Tiberii seculum , proh dolor ! hæc tempora redierunt , quò accusandi frequens & publicarabies omnivivili bello graviùs togatam conficiebat civitatem ; quò bona vivorum & mortuorum usque quaque quolibet & accusatore , & crimine corripiebantur ; quò delatorum judicium , quasi grassatorum , quasi latronum cruciabat innocentes. Sed ex veræ inscitiam pietatis tanti mali proveniens atrocitas gratiam apud illos videbatur mereri : à nobis certè , cœlesti instructis doctrinâ , eó longiùs abest veniæ solatium , quo arctiori amoris vinculo ,

jussu

jussu DEI nostri, connecti debebamus. Interea ab Ethnicis discendum nobis est, & gentilium probitate Christianitatis (ò pudor!) impietas coercenda. Pertinax Augustus in exilium pellebat delatores; Gordianus patibulis affigebat; Antoninus Pius *quadruplatores* (verba sunt Julii Capitolini) *si non probarent objecta crimina, capite mulcabat, si probarent, oblato premio infames dimittebat*, additâ falsis peculiari adfrontem notâ, quâ admoniti alii ab illis sibi cavere possent insidiatoribus. Digni me hercules, inter Christianos ejusmodi latrones omnibus illis pœnis. Cœterùm cum in hanc sententiam de monstroso hoc malo plura eruditâ oratione congesserit juvenis maximæ spei, inter pios & solidè eruditos nomen positurus.

DN. WILHELMVS BERNHARDVS SCHMOLLIVS
 DICTUS *Eysenwerth*, Hafsô-Gissenus.

ego finem hîc facio dicendi, postquàm
 Te

Te Gratiöse & B.L. eâ, quâ decet, sub-
 missione, invitavero ad doctissima illius
 orationis, proximo Mercurii horâ I. re-
 citandæ, auscultationem. Ut tamen ex
 calce hujus programmatis boni mei ani-
 mi vestigium cernant non pertinaces
 obtrectatores opto ipsis meliorem men-
 tem : reliquis contumacibus patibu-
 lum apprecor Plautinum, in quo ca-
 lumniantium linguas & auscultantium
 aures acutus Comicus suffigebat. P. P.
G I S S Æ, M. DC. LXIV. Propriid.
Kal. Martii.

INFA-



INFAMIA

CALUMNIÆ.

HACTENUS Auditores
 variarum rerum suavitate
 animum imbuitis, & ex
 hac Cathedra perorantes
 non sine eximia voluptate
 audivistis. Meum aliud est
 propositum, nec animus nunc est mihi
 vestras rerum dulcedine deliniendi au-
 res, nec pectora eo explendi desiderio,
 quo forsan adacti pro more præstantia
 nonnulla audituri accessistis: Patulæ
 mihi obtunduntur aures, hærent defixi
 B oculi

oculi, lingua spumam projicit, totumq;
adeò pectus ingenti horrore perculsum
non patitur nisi horrenda proferre. I-
gnoscatis igitur dum dicere ex hoc loco
conanti conceptus verba suppeditat, &
vel invitum in verba compellit à stupen-
dis rebus abhorrens animus. Monstrum
loquar omni parte truculentum, nec au-
diendum solùm, sed videndum offeram
ex omni vitiorum genere concretum
animal. Velum addam si timetis aspe-
ctum. Cæterum erumpit jam æternis
tenebris digna imago, & palàm in the-
atrum prodeambulat. Quiescite tan-
tis per, Auditores, & favete linguis, dum
accuratius explicare annitor insolita hu-
manæ bestię membra. Quiescite sal-
tem linguis, si inquietus est animus, &
quieturum portentum minori cum ter-
rore lustrabimus. Dabitur autem veni-
am ex incusso terrore inconcinnius per-
oranti, & malè cohærentia futuræ ex-
plicatio-

plicationis verba deformem monstri
formam exprimere, non numeros ora-
torios referre judicabitis.

Nunc dubio procul per ambages ser-
monis mei omen infandi mōstri cogno-
vistis. Calumniæ ipsi nomē est. Humano
habitu informe monstrum tegit: Caput
pectusq; hyænæ est similimum. Dentes
caninam mordacitatem, tergum anci-
piti armatum gladio Junonis capram,
cauda hydram lernæam imitatur. Quid
consternamini Auditores in tanta tot
portentorum Compage? Clarius expri-
mam oculorum fidem, animisq; vestris
repræsentabo immanis bestię truculen-
tam naturam. Humanitatem scilicet
simulat externo gestu, offertq; amicitia-
m paulo post loliginis succo contami-
nandam. Si ex foetu genitorem place-
at cognoscere, nullo opus erit augurio.
Calumniam Calumniator progenuit,
primus ille impostor, cujus fallacibus

supra

B 2

blan-

blanditiis amiserunt Parentes nostri pri-
 mi, quod totâ vitâ nostrâ recuperare non
 possumus : ex parente hunc habitum
 progenies possidet : Summis arridere
 labris & clanculum dentibus frendere.
 Hinc quæsitis coloribus veritatem ob-
 fuscant, & in excellentia quadam versan-
 tes apud alios eodem falsitatis humani-
 tatisq; prætextu criminatur. Habitum
 videtis. Ad interiora progredior. Hy-
 æna præcipuas partes tenet, caput
 pectusq; , grassaturque humanæ vocis
 mendacio in obvium quemlibet, la-
 ceratque Theonino dente quicquid san-
 ctum, quicquid venerabile in hoc terra-
 rum orbe, nec curat, sævientium more
 canum, lapidem mordeat an carnem.
 Gladium in dorso gerit, suone magis an
 aliorum damno, judicate : Nostis Ju-
 nonis olim à Corinthiis immolandam
 capram ensen in dorso gestasse, quo
 mox ipsa mactaretur. Idem plane munus
 anceps

anceps hoc ferrum subit, strictumque
 in alterius perniciem actori suo aut vul-
 nus infligit, aut vitam adimit. Scilicet
 dum res aliorum florentes aspicit lividus
 hic oculus, magno ægritudinum cumu-
 lo se involvit, non corpori vigor, non a-
 nimo constantia durat. Cor rodit soli-
 citudo ex aliorum felicitate ortum tra-
 hens, vesanasque mentes velut tinea vestes
 consumit & rubigo ferrum. Jaëtan-
 tur calumniatores instar navium fluctu-
 anti Oceano commissarum, continuisque
 impulsibus agitantur: & quid opus ver-
 bis? Habetis indicia minacem vultum,
 torvos oculos, trementia labra, collisos
 dentes, effrænata verba. Cauda super-
 est, nec enim nunc rapaces unguis attin-
 gam, ne forsan ipse innoxia præda com-
 prehendat. Cauda inquam superest,
 hydra illa lernæa, Hercule digna percuf-
 fore. Hæc ingentia damna sibi aliisque
 secum trahens prodigiosi ingenii argu-
 men-

B ;

men-

mentum subministrat. Huc Herodoti
 pertinent verba, quibus ex ore calum-
 niatoris triplex emergere damnum si-
 gnificat, *injuriamq; in se, delatum, &*
auditorem derivari. In aprico certè est
 injuria, quâ innocens afficitur. Fâma &
 vita pari passu ambulare dicuntur: Læsâ
 famâ vita læditur, quid autem superest
 homini inter vitæ dolores constituto?
 Etiam si enim recte sibi conscius animus
 contemnere debeat illas bonæ menti de-
 stinatas insidias, nemo tamen mortali-
 um adeò ab omni sensu erit alienus, ut
 ad istos impulsus dolorem non sentiat.
 Nec sine insigni incommodo audienti-
 um sunt aures, quibus confertis men-
 daciis imponit calumniator, illudque
 invidiæ suæ perniciosum virus, velut an-
 guis quidam, in accedentem effundit:
 Sed liberæ hîc sunt ad malè audiendum
 rudes aures, & extra commercium inju-
 riarum.

riarum. Ad illos communicata malitia pertinet, qui vacuis ædibus illos hospites recipiunt, & sitienti pectore hauriunt malè sanas de aliis suspiciones. Aureum est Ambrosii dictum: *Qui non repellit injuriam à socio, si potest, a que est in vitio ac ille qui facit.* Mendaciis auscultantem calumniatoris eodem obfuscat colore Horatius, quo alios malæ fidei homines:

*Absentem qui rodit amicum,
 Qui non defendit alio culpante, solutos
 Qui captat risus hominum famamque
 dicacis,
 Fingere qui non visa potest, commissa
 tacere
 Qui nequit: Hic niger est.*

Cæterùm nec sine molesto forsan præmio hanc spartam suam obit calumniator. Inter antiquos Romanos si viveremus

veremus litera ad caput ipsorum affixa
 pœnæ aliquod daret testimonium. Sed
 majora sunt quæ modo eloquar. In bono-
 rum odio versatur Sycophanta, proditor
 sui, dum ex ingenio judicat alios. Ac-
 curatè, nescio quis, expressit, quæ di-
 xi, pleriq; ubi alius maledicunt faciunt con-
 vitium sibi, quod quis in alio reprehendet, in
 suo inveniet sinu. Propterea triplicis par-
 ricidii hic reus tenetur sceleratus, illius
 primum, quo famam alius internecio-
 ni quasi dare conatur, deinde illius, quo
 ad odium provocat alium, illius deni-
 que, quo seipsum in perniciem præcipi-
 tat, eamque non temporale solùm sed
 æternum exitium secum vehentem. An-
 tiqua in hanc sententiam sunt testimo-
 nia:

*Pœna luenda tibi est, , adfert injuria
 cladem:*

Nam,

Fallite

*Fallite fallētes ex magna parte profanum
Est genus in laqueos, quos posuere, ca-
dunt.*

Nec tam ad alium quàm ad ipsos hos
scelestos accomoda vero vulgo tritum:

*Quem semel horrendis miraculis infam-
ia nigrat
Ad bene tergēdum nulla laborat aqua.*

Non parva audivistis mala Audito-
res, mōstroso partu in lucem edita, sed e-
xemplorum negligens in verbis tantum
acquievi. Possem nunc multa dare, ni-
si iis recensendis aures vestras gravare e-
rubescerem, & ipse à clade innocentium
abhorrerem & nefariorum audaci-
am libentius silentio damnarem.

Ast illud nō possum præterire, in præ-
tiorum habitos olim horreni monstri
filios. Nero nihil patiētius quàm hominū

C

male-

maledicta & convitia tulisse fertur. Quosdam ad Senatum ob maledicta in alios emissa delatos affici pœnâ prohibuit. Neronis hic genius hodierno etiam tempore dementat mortales, crederes perituram infandi vitii memoriam timere nonnullos nisi ipsi eo contaminarentur. Scio non desiderare vos hæc documenta. Sunt in hac urbe, sunt inter nos, qui sinceritatis & amicitiae debebamus esse studiosi, optimæ aliorum famæ venditores, sunt emptores pessimæ mercis. Domitianus si viveret, urbe forsitan plurimi exire juberentur. Sed nunc in laude ponitur lacerare posse aliorum nomen, titillatque multorum animos, mendacia in alios conjecta audire. Cor dolet: non possum ulterius istis cogitationibus inhærere. Qui boni adestis, spero autem vos omnes esse, accipite remedium, cujus prudenti applicatione

commu-

communissimi mali acerbitatem frangatis. Non sufficit nobis lex Platonis; Si leges valerent, dudum vel radices periissent pertinacis mali. Alia accersenda sunt instrumenta, quæ hasta, quæ parma, quæ thorax sint contra illos hostes dimicanti. *Patientia est*, & illa quidem ex vita bene acta ortum ducens: Hæc bonitate conscientia suffulta Spartano stomacho venenum hoc concoquit: Hæc Deo omnium Justissimo Vindici scelerum acceptas injurias committit puniendas. Gregorius illustre exemplum præluceat: Hic calumniis à meretrice pressus, ac si cū ea consuevisset, precibus impetravit, ut meretrix malo spiritu exagitata culpam publicè agnoverit, innocentiamque Gregorio contestata sit. Non curat scilicet magnanimus leo canum latratus minorum; contemnit robustus sagittarius invalidas puerorum sagittas; Et quis asinum calcitrantem re-

C 2

tem re-

tem recalcitrabit prudens , aut quis sanæ
 mentis â porco maculatus irarum flam-
 mas concipiet? Nihil Soli aspergitur ma-
 cularum , si radios ejus quis respergere
 luto conatur. Ipse humani generis Re-
 demptor â peccatorum labe longè remo-
 tus potatoris ignominiam subire impio-
 rum linguâ coactus fuit. Quid Josepho,
 quid Davidi, quid Ethnicorum præstanti-
 bus nonnullis, Aristidi, Socrati, aliisque
 acciderit, ne longior sim , quàm par est
 in splendido hoc concessu, non profero,
 novistis ipsi, invidiâ & calumniâ circum-
 ventos & ad carceres damnatos, & in exi-
 lium ejectos constantissimo animo omnia
 superasse. Dissimulemus igitur & nos
 eorum exemplo intentatas fortè injurias,
 feramusque Christianâ mente velut sti-
 mulos ad virtutem acriores. Certè Phi-
 lippus Macedoniae Imperator magnam
 gratiam debebat Atheniensibus, quod

covi-

covitiis suis se meliorem redderent. Diogenes, ulscisci inimicum se velle, dixit, suâ bonitate & virtutis excellentiâ. Hæc etiam palma nostra erit, quâ illos vincamus Arcadiones. Tu Deus Optime, Maxime, aperi mortalium oculos, ut videant monstri hujus deformitatem, nec videant solùm, sed angue pejus & cane fugiant. Nobis qui non possumus non calumniantium in injuriis exponi, obfirmamenta, ut robusto pectore feramus ignominias, Tibique innoxiam vitam vivamus.

D I X I.



ID multa nobis commoda
 Fert, quando docta scripta.
 Doctum virorum volvimus
 Noctes diesq; multos,

C 3

Est

Est omnium pulcherimum
 Palatium Sacratum
 Phoebi Supremi visere
 Haurire & ejus undas
 Nobis honores maximos
 Studere semper confert.
 Testatur illud Schmollius
 Qui docta verba fundit
 Ex cordis imis gratulor
 Fundis amice chare
 Sic, quæso, semper pergito
 Ne desinas studere
 Ne desinas evolvere
 Noctes diesq; libros
 Doctum virorum, pergite
 Post hoc onus laboris
 Fructus metes dulcissimos
 Amice mi valeto.

JOHANNES JOACHIM FREYTAG
 HAMBURGENSIS.

UT decus arboribus frondes, ut vitibus uvæ:
 Sic patri es SCHMOLLI tu decus omne tuo.
 ô ingens

O ingens proles ! in te stat cura parentis ,
 Sic pergas libris invigilare tuis.
 Gratulor ex animo , fundo de pectoris imo
 Oro Deum , cœptis ut benedicat iis.

*Quibus paucis affectus declarandi ergo gra-
 tularur Dn. Autori, amico ac cognato
 suo honoratissimo*

Johannes Georgius Fabricius, W. H.

Θαυμάζω σέγε, φίλε, σέθεν θαυμάζωμ' ἐγώνη
 Ἡδ' ἔκαστ' ἀνὰ τόλμην ἢ σέο ἰδμοσύνην.
 Τύνη μέτρον ἔχεις, φίλις, ἐρικυδέος ἤβης,
 Ῥηξίν γραψασκεος, καὶ μελετᾶς σοφίης.
 Ἐλπίζου τιμὴν, καὶ αἰλαὸν εὐχῶν ἀρέσθαι
 Ἐλπίζου σοφίην δῶράτε πολλαλάβην.

Paucula hæc in oratoris honorem adjecit

Johan. Balthasar Seipp, Gielsâ Hafsus,
 Theolog. Studios.



E M ! quid agis , miror multò Charissime frater !
 Num tu conaris fundere verba palam !
 Pergito sic alacri celerem pede currere carsum ;
 Præmia, tu tandem . digna labore feres .

Fratri suo Charissimo gratulabundus
 apponere voluit

Philippus Wilhelmus Schmollius,
 Dicitus Eysenwerth.

F I N I S .

1775
Gottlieb Christian
Herrmann
Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

Herrmann
Herrmann

1775

